



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Distinct. XXI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**



patitur, op<sup>o</sup> auctoris est: quia. n. sua voluntate, nō alio cogēte perpetitur, ipse author est operis. Cum a passio Christi opus Dei sit, & ideo bonum, eamq; operati sint Iudas & Iudzi, quæritur an cōcedendum sit eos operatos ibi esse bonū. Hic distinguendum est. Potest. n. dici, quod operati sunt bonum, quia ex actib. eorum bonū provenit, id est, passio Christi: & itē, quod operati non sunt bonum, sed malum: quia actio eorum non fuit bona, sed mala.

SI IN CHRISTO DIVISIO IN MORTE fuit anima, vel carnis à verbo.

## DISTINCT. XXI.

Post prædicta cōsiderandum est, vtrum in morte Christi, à verbo sit separata anima vel caro. Quidam putauerunt tunc carnem sicut ab anima, ita à diuinitate in morte diuisam. Si enim, inquit, anima media diuinitas sibi carnem vniuit, sicut superius prætaxatum est: ergo quādo diuisa est caro ab anima, diuisa est etiam à diuinitate: quia non potuit ab anima seungi, per quam verbo erat vnita, quin à verbo diuideretur. Fuit a. diuisa ab anima in morte, alioquin vera mors ibi nō fuisset: quia vt ait Aug. Mors quam timēt homines, separatio est animæ à carne. Mors a quam non timent, separatio est animæ à Deo. Vtraque verò diaboli sua su homini propinata est. Si ergo in Christo homine vera mors fuit, diuisa est ibi anima, ac per hoc diuinitas, à carne. Huic suæ probabilitati addunt auctoritatis testimonium. Ambr. enim tractās de Christi derelictione, qui in cruce voce magna clamans dixit, Deus, Deus meus, vt quid me dereliquisti? ait, Clamat homo separatione diuinitatis moriturus Nam cum diuinitas mortis libera sit, vtiq; mors ibi esse non poterat, nisi vita discederet: quia vita diuinitas est. Hic videtur tradi, quod diuinitas separata sit in morte ab homine: quæ nisi discessisset, homo ille mori non posset.

Quod

*De morte  
qua conse-  
quuta est  
passionem  
Christi.*

*Aug. dist. 2.*

*i. 3. c. Assum*

*psit. super*

*Ps. 48. conc.*

*2. ad versum*

*4. Psal. 48.*

*Sicut oues*

*in inferno.*



Quod illi ad carnē referunt, quam dicunt à Deo separatam. Quib. respondemus illam separationem sic esse accipiendā, sicut intelligitur derelictio, quę illis verbis significatur: Vt quid me dereliquisti? Quomodo ergo Christus derelictus erat à patre, cū in cruce derelictū se clamabat? Nō recesserat Deus ab homine, ita quod esset soluta unio Dei & hominis. Alioquin fuit quoddam tēpus, quādo Christus adhuc vivus homo erat, & nō Deus: quia adhuc vivus se derelictū clamabat, non derelinquēdum. Si ergo illa derelictio, uniois intelligatur solutio, ante facta fuit solutio Dei & hominis, quā Christ⁹ mortuus esset. Sed quis hoc dicat? Fateamur ergo Deum, quodammodo illum hominē in morte deseruisse, quia potestati persequentū eum exposuit ad tēpus, non suam potentiam exercēdo illum defendit, vt nō moreretur. Separavit se diuinitas, quā subtraxit protectionē, sed nō soluit unioem. Separavit se foris, vt non adesset ad defensionē. Sed non intus defuit ad unioem. Si nō ibi cohibuisset potentiā, sed exercuisset, non moreretur Christus: Mortuus est Christus diuinitate recedente, i. effectum potentiz defendēdo, non exhibente. Hic est hircus, i. emissarius apoponpei⁹, qui altero hircō immolato in solitudinē mittebatur, vt legitur in Leuit. Duo. n. hirci, humanitas & diuinitas Christi intelligūtur. Humanitate ergo immolata diuinitas Christi in solitudinem abiit, i. in cœlum. Vnde Esich. In solitudinem, i. in cœlum tempore passionis diuinitas abiisse dicitur, nō locum mutans, sed quodammodo virtutem cohibens, vt possent impij cōsummare passionem. Abiit ergo, i. virtutem cohibuit, & portauit iniquitates nostras, non vt haberet, sed vt consumeret: Deus enim ignis cōsumens est. Ex his satis ostenditur, præmissa verba Ambrosij sic esse accipiendā, vt prædiximus.

*Aliam ad idem inducunt auctoritatem.*

Qq

*Luc. 22. ad illud: Et hoc dicto tradidit spiritum tom. 5.*

*Matth. 27.*

*Leu. 16. 6*

*Esichius lib. 5. ad illud Leu. cap. 16. Et emittat illum in solitudinem. & Glossa ordinaria ib.*

B

Alii



*Athan. lib.  
6. qui de  
beatitudine  
filij Dei di-  
citur ad  
Theophilum  
tom. 4.  
Responſio.*

Alii quoque authoritati innituntur, qui afferunt diuinitatem in morte recessisse ab homine secundum carnem. Ait enim Athan. Maledictus qui totum hominem quem assumpsit Dei filius, denuo assumptum, tertia die a mortuis resurrexisse non confitetur. Fiat, fiat. Si inquit denuo assumptus est homo in resurrectione, quem assumpsit in incarnatione, deposuit ergo eum in morte: separata ergo fuit diuinitas in morte ab immunitate. Quibus respondemus, quod si in his verbis assumptio talis intelligatur, quae fit secundum unionem, non carnem tantum, sed totum hominem, id est animam & carnem denuo sibi uniuert in resurrectione, quia non simpliciter hominem sed totum hominem assumptum dicit. Totum ergo hominem in morte deposuit, id est animam & carnem. Sed quis, nisi hostis veritatis, dicat animam a verbo depositam? Et tamen nisi hoc fateantur, quod totus homo fit assumptus, non pro eis facit illa auctoritas, quae totum dicit assumptum. Sciendum est ergo Athan. id dixisse contra illorum perfidiam, qui resurrectionem Christi negabant, putantes morte detineri eum, qui solus inter mortuos liber est. Ideo illum maledicit, qui non confitetur totum hominem denuo assumptum resurrexisse, id est Christum animam denuo corpori coniunxisse: & illis duobus denuo coniunctis in resurrectione, verum secundum hominem vixisse, sicut ante mortem. Nam in morte separata est anima a carne. Vnde verum dicitur Christus mortuus: sed neutrum separatum est a verbo Dei.

*Auctoritatibus astruit a verbo carnem in morte non esse diuisam.*

*Aug. tract.  
47.  
Ioan. 10.*

Sicut Aug. super Ioan. docet, tractans illud verbum. Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam: a me ipso potestatem habeo ponendi eam, & iterum sumendi eam: hic animam dicit emissam. A quo emissam est? A seipsa non est emissam, quia seipsam non posuit



fuit: nec verbum animam posuit, nec carnē. Caro ergo animā posuit, sed potestate in se manētis deitatis. Potentia ergo deitatis anima diuisa est à carne, sed neutrum à verbo Dei. Vnde Aug. Verbū ex quo suscepit hominē, i. carnem & animā, nūquam deposuit animam vt esset anima à verbo separata: sed caro posuit animam quando expirauit, qua redeunte resurrexit. Mors ergo ad tempus carnē & animā separauit, sed neutrū à verbo Dei. Caro ergo ponit & sumit animā, non potestate sua sed potestate inhabitantis carnē deitatis. Hic euidenter traditur, nec animā nec carnē à verbo Dei in morte esse diuisam, vt aliquo modo soluta fuerit vnio. Vnde Aug. cont. Felician. Absit, vt Christus sic senserit mortē, vt quantum in se est, vita vitā perderit, si n. hoc ita esset, vitæ fons aruisset. Sensit ergo mortem participatione humani affectus, quem spōte susceperat: non naturæ suæ perdidit potentia, per quā cuncta viuificat. Sic in sepulchro Christus carnē suam cōmoriendo nō deseruit, sicut in vtero virginis cōnascendo formauit. Mortuus est ergo nō discedēte vita, sicut passus est nō pereunte potētia. Nemo tollit animā eius ab eo, quia potestatem habet ponendi & sumēdi. Ecce & hic habes, Christum non deseruisse carnē in morte, & vitam non discessisse à mortuo: & quam sponte tradidit spiritum, non alius extorsit. Vnde Ambr. Emisit Christus spiritum, & tamē quasi arbiter exuendi suscipiendiq; corpōs, emisit spiritum, nō amisit: pendebat in cruce, & omnia commouebat. Sed vnde emisit? Ex carne. Quo emisit? Ad patrem.

*Qua ratione Christus dicitur mortuus & passus.*

Recedente vero anima mortua est Christi caro: & quia caro mortua est, mortu<sup>9</sup> est Christus. Sicut n. mortuus dicitur Deus, quādo mortuus est homo: ita mortuus homo dicitur, quādo mortua est caro. Separatio animæ mors carnis fuit. Propter car-

Qq 2 nem

*Ad principium c. 14<sup>o</sup> in tom. 6.*

*Aug c 14<sup>o</sup> in princ.*

*Ioan. 10. & Ibid. paulo inferius.*

*Ambros. ad mediū c. 5. lib. de incarnationis dominica sacramento, tom. 2.*



*Aug. ad ver-  
sum 4. Psal.  
130. hunc,  
sicut abla-  
tato 8.*

*Amb. 2. t. c.  
5. in fine.  
1. Pet. 4. a*

*Tom. 10. in  
serm. de fide  
1. 9.  
De tempore  
qui est 3. fe-  
ria 5. in coe-  
na Domini.*

nem ergo unitam verbo, quæ mortua est, dicitur  
Deus mortuus: & propter carnem & animam qua  
vtraque dolorem sensit, dicitur Deus passus, cum di-  
uinitas omnis doloris exors existeret. Vnde Aug.  
Verbū caro factum est, vt per carnē panis cœlestis  
ad infantes transfirer, & secundū hoc ipsum verbū  
crucifixum est, sed nō est mutatum in hominē: ho-  
mō in illo mutatus est, vt melior fieret quā erat.  
Per illud ergo quod homo erat, mortuus est Deus:  
& per illud, quod Deus erat, homo excitatus est &  
resurrexit. Quicquid passus est hōmō, nō potest di-  
ci nō passus Deus: quoniam Deus erat hōmō. Quo-  
modo non potes dicere te non passum iniuriam, si  
vestis tua cōscindatur, quamuis vestis tua non sit  
tua? multo magis ergo quicquid patitur caro vni-  
ta verbo: debet dici De<sup>o</sup> pati: licet verbū nec mori,  
nec corrumpi, nec mutari potuerit. Sed quicquid  
horum passus est, in carnē passus est. De hoc etiam  
Ambr. in lib. de incarnat. domin. sacram. ait. Quod  
verbi caro patiebatur, manēs in carne verbum in  
se pro corporis assumptione referebat, vt pati di-  
ceretur, quia caro patiebatur: sicut scriptum est,  
Christo in carne passo. Hic docetur quā ratione  
Deus vel Dei filius passus vel mortuus dicitur: nō  
quia mortē senserit in quantum Deus est, sed quia  
caro ei vnita mortua est. Secundum quam rationē  
dicit Aug. Si quis dixerit atq; crediderit filium Dei  
Deum passum, anathema sit. Cuius dicti causam,  
ex quā intelligētia sumenda sit, aperiens in eodem  
subdit. Si quis dixerit, quod in passione dolorem  
sentiebat filius Dei Deus, & non caro tantum cum  
anima quā sibi acceperat, anathema sit. Sanē ergo  
dici potest, quod mortuus est Deus, & nō mortu<sup>o</sup>:  
passus est Dei filius, & non passus: passa est tertia  
persona, & non passa: crucifixū est verbum, & non  
crucifixum: sed secundum alteram naturam passus  
est, secundum alteram impassibilis. Vnde Ambros.  
Gene-

Gene-



Generalis ista est fides, quia Christus est Dei filius, & natus ex virgine: quem quasi gigantem propheta describit, eo quod biformis geminæque naturæ vnus sit, confors diuinitatis & corporis. Idem ergo patiebatur & non patiebatur, moriebatur, & non moriebatur, sepeliebatur & non sepeliebatur, resurgebat & non resurgebat. Resurgebat secundum carnem, quæ mortua fuerat, non secundum verbum, quod apud Deum semper manebat.

*Amb de incarnationis dominicæ sacramento c. 5. ad princ. Ibid. paulo inferius.*

SI CHRISTVS IN MORTE FVIT HOMO.

## DISTINCT. XXII.

A

**H**ic queritur. Vtrum in illo triduo mortis Christus fuerit homo? quod non videtur quibusdam: quia mortuus erat, & homo mortuus non est homo. Addunt etiam, quod si tunc erat homo, vel mortalis vel immortalis, sed mortalis nõ: quia mortuus: nec immortalis, quia tantum post resurrectionem. Quibus respondemus, quia licet homo mortuus fuerit, erat tamen in morte Deus homo, nec mortalis quidẽ, nec immortalis: & tamen verè erat homo. Illa enim & huiusmodi argutię in creaturis mentis est liberum. Vnde Ambros. Aufer argumenta, vbi fides queritur. In ipsis gymnasiis suis iam dialectica taceat: piscatorib. creditur, non dialecticis. Dicimus ergo in morte Christi Deum verè fuisse hominẽ, & tamen mortuum. Et hominem quidẽ nec mortalem, nec immortalem: quia vnitus erat animæ & carni seiunctis. Alia enim ratione dicitur Deus homo, vel homo Deus, quam Martinus vel Ioan. Homo enim dicitur Deus & è conuerso, propter susceptionem hominis, id est, animæ & carnis. Vnde Aug. Talis enim susceptio illa quę Deum hominem faceret, & hominẽ Deum. Cum ergo illa susceptio per mortem nõ defecerit, sed Deus homini, & homo Deus sicut ante vnitus erat verè, & tunc Deus erat homo & è conuerso, quia vnitus animæ & carni: & homo mortu<sup>9</sup> erat,

*De consequentibus. mortem Christi.*

*Hic non tenetur.*

*Amb in l. 1. de fide cap. 5. in fine to. 2.*

*In libr. de Trin. 1. c. 13. ad princ.*